

*Argumentum Capitis.*

Propheta reliquias populi ab Idololatriâ seriò exhortatur: populusexhortationi Prophetæ impissimè refragatur, & proinde Prophetæ eis pœnas fatales easq; ve funestissimas comminatur.

*Partitio Capitis.*

Partes capitis tres sunt. In 1. dehortatio ab Idololatriâ usq; ad vſ. 15. In 2. populi refractarii responsio, inde usq; ad vſ. 20. In 3. pœnarum fatalium comminatio, inde usq; ad finem capitinis continetur.

Caput igitur istud in genere est συζητησικὸν, ἢ Διαλογισμόν; In specie verò partim διπτερεπτηνὸν, partim ἐπιθυμητικὸν, partim denique ἀπληητικόν..

*Uſus.*

Observant animum suum Ministri Ecclesiæ hujus capitinis meditatione, ne pertinaciâ auditorum se territari patientur; sed ut potius dehortando, objurgando, comminando intrepidè instent ex præcepto Apostoli 2.Tim. 4. v.2.

*Explicatio 1. partis.*

In (1) capitis parte duo generalia capita delibanda sunt. (I.) complebitur auditores; (II.) verò dehortationem ipsam.

v.1.

Auditores, ad quos Propheta concionem isthanc instituit, constituuntur reliquiae Judæorum, qui in Aegyptum profecti sedem inibi fixerant in urbibus, quorum (4) nominatim notantur: (1) dicitur Migdal, cuius mentio fit Exod. 24, 2. itemq; Ezech. 29, 10. Vox Migdal turrim sonat, unde & nonnulli candem appellativè interpretati. (2) Thachpanhes, de quo in capite præcedente. (3) Noph, alias in Scriptura Moph; Apud Scriptores verò profanos Memphis, hodiè vocabulo Arabico dicitur Alcair, distat milliaribus 69. ab Hierosolymis. (4) Terra Pathros, de qua Gen. 10. v.14. Ex his urbibus ac locis in Aegypto convocavit Propheta Judæos unum in locum, ibi q; hanc ad eos omnes & singulos eo in loco congregatos isthanc concionem habuit. Dehortatio ipsa tribus constat membris, in quorum (1) Antecedentia; In (2) Præsentia. In (3) Consequentia negotii illius de Idololatriâ tractanda. Tractatio antecedentium tribus absolvitur particulis, quorum (1) Propositio generalis de

v.2.